UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Insigni Pietate Et Ervditione Viro, Conrado Pelicano, Minoritano, suo in Christo Maiori, Martinus Lutherus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Visual Library

INSIGNI PIETATE ET ERVDITIONE VIRO,
Cõrado Pelicano, Minoritano, ſuo in Chriſto Maiori,
Martinus Lutherus.

QVOD mea ſic prædicas non agnoſco, fauori timeo nimium
dederis. Mihi certe Pſalterium meum nauſea eſt: Non tam
ob ſenſum, quẽ arbitror eſſe genuinum, ꝙ ob uerboſitatem,
confuſionem & indigeſtum cahos. Liber eſt enim quẽ una-
eademqꝫ opera, cõcipere, formare, alere & parere cogor, tem
poris & otij penuria. Iam diu cogito eum reuocare. Voce
enim uiua, multũ auditoribus & lucis & gratiæ accedit, quantũ cahos iſtud lite
rarum, neqꝫ habet neqꝫ capit. Qꝫ ſi nõ eſt excuſus pſal. xj. uelim deleas, in fine
ultimæ paginæ, literæ B. duodecim uerſus, cũ tribus ſequentibus uerſibus literæ
C. Vides enĩ ꝙ ibi fœde errauerim ĩ uocabulo סביב. Raptus & occupatꝰ tñ fui,
ſicut ſæpe alias, cogitationibus uarijs, ſum enĩ occupatiſſimus, Duas cõciones
per diem habeo, Pſalterium cogo, Poſtillas (quas uocant) molior, & hoſtibus
reſpõdẽ, & Bullam utraqꝫ lingua impugno, meqꝫ defendo. Vt literas taceam
amicis reddendas, & cõuerſationes domeſticas fortuitasqꝫ. Iam quod oblitus,
pſal. xiij. quicqd de uerbo משכיל ſomniaui per. xxvj. uerſus dele quæſo. Da-
bo operam ut uerbis intelligendi explicandis, ſimile negotium tribuam, quod
uerbis uirtutis feci, pſal. xx. Multis alijs, ſed leuioris momẽti, mẽdis ſcatet liber
culpa typographi. Bene facis pro me orans, multis premor malis & impedior
a ſacris, uita mea mihi crux eſt. Viceſimum primum pſalmum, אלי אלי, in ma
nibus habeo, Sperarem Pſalterium cõſummãdum, ſi pacem daret Chriſtus, ut
totus in ipſum incũberem, Nunc ne quarta quidẽ pars Pſalterio ſeruit, immo
mera furta ſunt temporis, quæ illi impendo. Recte mones modeſtiæ me, ſentio
& ipſe, ſed compos mei nõ ſum, rapior, neſcio quo ſpiritu, cũ nemini me male
uelle cõſcius ſim, uerũ urgent etiã illi furioſiſſime, ut Satanã nõ ſatis obſeruẽ.
Itaqꝫ pro me ora dñm, ut qđ ſe & me, nõ quod illos decet, ſapiã, loquar & ſcri
bam, ac bene uale in Chriſto, Vuitembergæ, ANNO M. D. XXI.

Loquitur de Vuittẽbergẽſis exẽplaris paginis.

BASILEÆ, APVD ADAM PETRI,
ANNO M. D. XXI.